



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1776

VD18 90118820

§. 9. Comitia S. R. Imperii Ordinum Ratisbonæ frustra suscepta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67222)

gantibus. Nihilominus Pontificis Nuntio acriter resistente, nihil Protestantibus etiamnum permissum est, qui tamen præter tumultum Posonii excitatum etiam in Natalitiis Christi feriis Wratislaviæ in Ecclesiam, in qua quidam Monachus Lutheranorum errores in Concione acriter refellebat, irrumperentes, disiectis statuis, everfisque, fenestras effregere, libros, vestimenta Sacra, calices & ornamenta alia diripuerunt ac diripuerunt, qui nec hic quidem substitissent, nisi Magistratus captis præcipuis seditionis auctoribus tumultum tempestive sedasset.

Sæc. XVII.
A. C. 1608.

§. IX.

Comitia S. R. Imperii Ordinum Ratisbonæ frustra suscepta.

Interea S. R. Imperii Principum Legatis ad indicta comitia frequenter Ratisbonam confluentibus tandem duodecima Januarii die Ferdinandus, qui Cæsaris nomine huic Conventui præerat, de quibus deliberatio institueretur, proponi iussit, & primo quidem de perpetuis subsidiis ad bellum Turcicum. II. De emendatione Camerae Imperialis. III. De Belgii, quod Imperii feudum est, iactura. IV. Dere Monataria & V. De Matriculæ, ut vocant,

Lundorp. lib. 14.
Carafa comment. de Germ. Sac. Rest. p. 46.
Merc. t. 6. l. 3.
Helvic. Theatr. Hist. l. 5. p. 129.
Adelz. Ann. nat. Boic. l. 2. part. 3. l. 2.

Hist. Eccles. Tom. LIV. U mo-

Sæc. XVII. moderatione. Propositis hisce articulis
 A. C. 1608. jam prima oriebatur concertatio circa
 ordinem hæc capita pertractandi; Catholici enim, eoquod novissime de Hei-
 duccorum, quos Turcæ pecuniis armis-
 que adjuvabant, vastationibus nun-
 tiatum esset, præprimis de suppetiis ad
 bellum Turcicum esse agendum contem-
 debant, Protestantes vero, cum Cæ-
 saream jurisdictionem ad se devolvi an-
 xiis votis exoptarent, primo loco de
 Curia Imperiali & Religionis negotio
 consultandum insistebant, hinc turba-
 tissima fuere hæc comitia, in quibus
 Protestantes respondere volebant, nisi
 sæpius petita gravamina tollerentur,
 Donawertha in integrum restitueretur,
 alia judicii forma institueretur, & nisi Au-
 licis sententiis, quas *processus* vocant,
 proscriptis, pares numero Præsides, at-
 que Assessores utriusque Religionis con-
 cederentur, ordinariæ visitationes in-
 termitterentur, Ecclesiasticis, Abbati-
 bus, Prioribus, & Monachis jus con-
 tra Lutheranos agendi demeretur, nec
 Catholicis Episcopis Sessiones aliaque
 privilegia concederentur, Sepulcra a-
 pud Catholicos A catholicis permitte-
 rentur, Romani Pontificis jus atque au-
 ctoritas ex Imperio proscriberetur, for-
 ma juramenti in feudorum investitura
 mutaretur, ac denique majoris suffra-
 gio.

Sæc. XVII.
A. C. 1608.

giorum numeri in causis Religionis ratio non haberetur. Ex tanta postulatorum indignitate Ferdinandus Archidux, de prospero comitiorum successu esse desperatum probe intellexerat, quocirca die quinto Maji Ratisbona discessit. Hac igitur ratione hæc comitia quidem tum temporis finita, ast de propositis capitibus ne inchoata quidem fuit deliberatio: prima autem jam tum jacta fuere fundamenta ad Protestantium foedus contra Catholicos; non enim puduit eos comitiis ob eorum petulantiam dissolutis Aschusii apud Francos ad Sylvam Ottoniam suæ factionis Conventum celebrare, ibique armorum societatem adversus Cæsarem & Catholicos omnes inire, ubi iidem, qui exhausti ærarii obtentu sæpius petita pro bello Turcico subsidia Cæsari denegabant, jam contra Imperatorem & Religionem Catholicam mox pecunias, & arma in promptu habebant: Constituti quoque fuere Belliduces & factionis capita, Christianus Anhaltinus in Vicarium foederis, Palatinus in Præfectum vindicandæ sectæ electus, ordinati sunt focii, distributæ curæ, & discussa imperii negotia, erecto tribunali, in quo fieret Cæsaris oppressio, & Sociorum defensio: Uberior autem de hoc foedere redibit sermo anno sequenti.

U 2

§. X.